



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Syrus Episc. 9. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

600 VITÆ SANCTORVM. 8.Dec.
mis deinde Indulgentiis ornavit Sixtus IV. Pont.
Max. in VIII. continuos dies, quos etiam ipsos lu-
culentō miraculo Numen probavit. Etenim Ni-
colaum Pratensem memorant, ad icona imma-
culatæ VIRGINIS rosam cum his precibus depo-
suisse, veller juberet, si gratum ei esset, octo dies
memoriam Conceptionis suæ agi, numquam eo
anno rosa illa marcesceret. Floruit semper, & cum
rosâ multorum etiamnum in hanc diem pietas
floret, quam ipsa ædium limina in Hispaniâ his
verbis loquuntur: *Benedictum sit S. mysterium im-
maculatae Conceptionis MARIAE.* Quid? quod aliter
sentientes Doctores rectius nuper ab Hispanis
infantibus erudiri vidimus. Se certè accuset, qui
maculam hodie videt; suam dicat. Non habet
purum, sed ostendit maculas, speculum. Ex Baron.
et Spinello.

*Opem intercessionis MARIAE poscamus singuli, posca-
mus omnes: oremus ut sit protectrix in prosperis, submo-
veat noxia, suggerat profutura, admittat preces suppli-
cantium intra sacraria divinitatis, nobisq; impetret
consortium sue beatitudinis.* S. Hildephon. serm. 6.
de Assumpt. B.M.V.

S. SYRUS EPISC. 9. Decembris.

SAcra nostra SYRVS à D. Hermagorâ est edo-
ctus, ipse Papienses docuit, multum eâ in re
S. Juventii operâ usus, quem socium expeditionis
Hermagoras addiderat, cuique à morte SYRVS
noster medius Martyres inter triumphare est vi-
sus. Veronâ transeunti, ut de fide nostrâ dicenti
fidem haberent incolæ, testem è tumulo mor-
tuum excivit, & cum primùm Papiam est ingres-
sus, senis civibus gravissimè decumbentibus salu-
tem

tem corporis, multò pluribus deinde animorum tulit, qui verbis mirisque ejusmodi inducti facile Christianis accesserunt; tunc præsertim, cùm novo hospiti cedere hospitem Orcinum viderunt, qui è puerō Syri imperio illicò ad ergastula sua migravit. Addo è plurimis aliis illud, quod unum Papiensibus admirationem parere poterat; nobis justissimum metum potest, si impiati sacram mensam frequentemus. Ausus est Hebræus inter Christianos profanus accumbere, divinum cibum ore exceptum non stomacho, sed cœno post sacra daturus. Prohibuit Numen, & vindices ignes se ore servare scelus advertit, qui tamdiu miserabilè incendio impurum exusserunt, dum quæ palato impio pendebat, Hostiam sacram SYRI manibus reddidit. Quid hic Christiani? porrò mensam cum Judæo impuri acceditis? Non sentitis ultores hos ignes? graviores sentietis. Ex Surio.

Si qui regiam purpuram coinquiant, haud secūs quām qui eam scindant, puniuntur; quid mirum si qui immundā conscientiā Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui eum clavis cruci affixerunt? S. Chrysost. hom. 45. in Joan.

S. MENNAS MART. 10. Decembris.

MENNA M Maximinus Antiochiæ præfecit suis, ut quidem putabat, sacris, revera Christianis addictum. Erravit feliciter tamen Imperator, neque Respublica umquam melius illi cōstitit, quam cùm Christianis jus Christianus Proconsul diceret, & alios verbis, alios miraculis, omnes vitæ exemplo ad Christum traheret. Id ubi aliquantò serius rescivit Maximinus, qui rem

Cc Dcorum